

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

47-117

DA BOX


4°




LN 1542
M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

DE ORATIONE ERVDITA ET LATINA,

THESES DISPVTANDÆ DIE XVII. OCTOBRIS.

Præside

M. *Iuaro Stubbæo, Profeß. Pædagog.*

Respondente,

Nicolao Petri Nestuadense, art. Baccal.





HAFNIÆ.
EXCVDEBAT MATTHIAS VINITOR.
1590.

47.-117

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

1.

ORatio Erudita & Latina, est Locutio rebus naturaliter & verè, vel etiam verisimiliter tantùm conueniens, & decenter atq; latinè prolata.

2.

Constat ex duabus partibus, Rebus nimirum & verbis.

3.

Res & inueniendæ sunt, & ritè disponendæ.

4.

Inueniuntur ex locis, vel Causarum, vel Effectorum, vel Subiectorum, vel Adiunctorum, vel Dissentaneorum, vel Comparatorum; vel etiam ex alijs istis, quorum quidam ex his oriuntur, vt Coniugata & Notatio, Definitio, Distributio: Vnus ex his quidem non oritur, horum tamen vi tantum arguit, nempe Testimonium.

5.

Vt oratio igitur vera sit, necesse est vt ea quæ dicuntur, veram erga se inuicem vel Causarum vel Effectorum vel Subiectorum vel Adiunctorum, vel Dissentaneorum vel Comparatorum, vel Coniugationis, vel Definitionis, vel Distributionis, vel Testimonij rationen habeant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

6.

Vt veriſimilis ſit, veriſimilis tantum ratio requiritur.

7.

Porro diſponuntur res vel vniuerſali diſpoſitione, quam aliâs Methodum appellant, vel partiali.

8.

Vniuerſalis diſpoſitionis vnica eſt regula, nimirum, vt naturâ prius præcedat.

9.

Partialis diſpoſitio, conſiſtit in propoſitionum & Sillogiſmorum legitima compoſitione.

10.

Non enim ſemper ex perpetuis Syllogiſmis conſtat Oratio: ſed pro rei quæ tractatur natura, interdum ex meris propoſitionibus, quæ extra Syllogiſmum νοητικῶς *iudicio intelliguntur & iudicantur: interdum ex meris Syllogiſmis: interdum ex mixtis & propoſitionibus per ſe iudicandis & Syllogiſmis.*

11.

Verùm nec in Vniuerſali ſeu Methodica, nec in Syllogiſtica diſpoſitione Canon generalis, quem ars præſcribit, ſemper obſeruatur ſtrictè.

12. Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

12.

Nam (vt interim de propositionibus nihil dicamus, quas tamen etiam variè interdum affici certum est) & in syllogismis frequens est partium quarundam immutatio, defectus, abundantia:

13.

Et in Methodo similiter, multiplices, præcipuè apud Poëtas & Oratores, Crypses sunt: dum aut naturalis ordo immutatur nonnihil: aut Heterogenea quædam assumuntur: aut res eadem subinde iterum atq; iterum repetitur & inculcatur.

14.

Horum tamen omnium nihil temerè fit: sed certo consilio & magnâ prudentiâ geruntur omnia.

15.

Porro in verbis decentia quædam (vt sic dicam) & latinitas requiritur.

16.

Decentia in recto vsu ornamentorum Rhetoricorum consistit: vt scilicet pro rei de qua dicturi sumus natura, ritè adhibeantur.

17.

Non enim omnes res æqualiter exornari volunt: sunt quæ exiguam aut ferè nullam verborum exornationem recipiunt, sunt quæ mediocrem, sunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

quæ maximam patiuntur, vt hac in parte decorum seruare maximè conueniat.

18.

Consistit autem omnis ornatus Rhetoricus atq; adeo Rhetorica ipsa in Elocutione & Actione.

19.

Elocutione, vel verborum natiua seu prima significatio, vel significatione verborum manente, ipse habitus orationis à simplici loquendi consuetudine immutatur.

20.

Immutatio significationis fit, vel cum ex causa Effectum, vel ex Effecto causa, vel ex Adiuncto Subiectum, vel ex Subiecto Adiunctum, vt in Metonymia: vel cùm ex simili Simile, vt in Metaphora: vel cùm ex contrario contrarium, vt in Ironia: vel deniq; cùm ex genere species, vel ex toto partes aut contrà, vt in Synecdoche: intelligitur.

21.

Ex Coniugatione seu Notatione Tropi nulli oriuntur, quemadmodum nec ex Definitione vel Testimonio.

22.

Ergo ineptè docent, qui præter quatuor Tropos hosce, Metonymiam, Metaphoram, Ironiam, Synecdochen, alios inuehunt.

23. Immu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

23.

Immutatur autem significatio verborum, vel necessitatis causa, vel delectationis.

24.

Cum enim plures sint res quam vocabula, necesse est idem verbum pluribus rebus interdum attribuere.

25.

Et delectatio quædam ex varietate ista oritur, cùm is qui dicit, transilit ab ijs quæ ante pedes posita sunt ad alia: atq; auditor aliò cogitatione quidem deducitur, nec tamen aberrat.

26.

Elocutio autem ea, qua verborum significatione manente, orationis habitus à recta & simplici loquendi consuetudine mutatur, latiùs se extendit, vt nondum arte accuratè compræhensa aut tradita sit.

27.

Eius tamen summa genera ita traduntur non omnino ineptè, vt vel sit numerus & harmonia quædam: vel habitus quidam, verba aliquo animi motu afficiens.

28.

Numerus autem seu harmonia circa sonos

Ver-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

versatur, quos vel dimetimur vel repetimus.

29.

Dimetiuntur autem hos aliter Poëtæ aliter vero Oratores.

30.

Ex Poëtica dimensione Rythmus oritur & Metrum.

31.

Quorum apud Poëtas genera plurima in usu sunt, & plura excogitare adhuc liceret.

32.

Oratoria dimensio incertior est, & nondum penitus obseruata.

33.

Illud tamen generaliter obseruatum est, prosæ Orationis numerum non tantum Poëtico numero, verùm etiam sibyp si perpetuò dißimilem esse.

34.

Porro sonus repetitur, aliquando priori prorsus similis, aliquando non prorsus similis, sed aliquantulū dißimilis. Atq; vtriusq; generis plures fiūt species quas hoc loco breuitatis causa relinquimus.

35.

Habitus autem is, quo verba aliquo animi motu afficiuntur summa habet genera Logismum & Dialogismum.

36. Logis-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

36.

Logiſmus ſine aliqua collocutione, Dialogiſmus autem contrario modo ſententiam ornat. Horum etiam ſpecies plures ſunt, quas item breuitatis cauſa prӕterimus.

37.

Vocabulo Actionis & debitam pronunciationem intelligimus. Vt actio ſit, & vocis, & geſtuum apta & ad mores hominum, apud quos dicimus, accomodata moderatio.

38.

Porro ad latinitatem & ſingulorum vocabulorum latinorum vis atq; proprietas requiritur, & coniungendorum apta compoſitio.

39.

Vocabulorum ſimplicium vis, proprietas & affectiones variӕ, ex authoribus latinis, vel quӕ ex his conflatӕ ſunt, nomenclaturis & Grammaticis regulis addiſcuntur.

40.

Compoſitionis autem talis ratio eſt, vt vel eius aliqua generalis notio ſeu ratio ex pluribus vſq; ſimilibus exemplis inueniri poſſit: vel eſt talis, vt non poſſit.

41.

Prius genus arte tractatur: Poſterius non

arte, sed tantum vsu & imitatione eorum qui latinè locuti sunt, addiscitur.

42.

Illa vocum cumpositio seu Syntaxis quæ arte tractatur, vel est κατηγορημάτων vel συγκατηγορημάτων.

43.

Κατηγορηματα sunt nomen, Pronomen, verbum Participium.

44.

Dicuntur κατηγορήματα, eodem ferè sensu quo in Dialectica, Causa, Effectum, Subiectum Adiunctum κατηγορηματα & quidem præcipua dicuntur.

45.

Syncategoremata sunt, Aduerbium, Præpositio., Coniunctio, Interiectio.

46.

Dicuntur Syncategoremata, quod Categorematis coniuncta, aliquid significent, in oratione minùs præcipuum.

47.

Vtriq; tam Categorematicæ quam Syncategorimaticæ compositioni conuenit, vt Syntaxis vel Naturalis sit & iusta, vel Figurata.

48.

Naturalis seu iusta Syntaxis est, cui nec deest quidquam, nec abundat, nec loco suo abest, nec immutatur.

49. Huic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

49.

Huic conuenit, vt in duabus ad minimum vocibus consistat.

50.

Huic etiam conuenit, vt vel in voce vel in significatione spectetur.

51.

Vocem dictionum pro materia, significationem pro forma habemus.

52.

Syntaxis omnis quæ in voce seu materia est, ex communibus dependet accidentibus.

53.

Nam partes quæ habent communia accidentia, debent iisdem conuenire.

54.

In Syntaxi autem quæ ex forma seu significatione dependet, casuum præcipuè vis & natura obseruanda est, quam hoc loco, quia breuiores esse volumus, missam facimus.

55.

Huic Syntaxi proprium est, vt Deriuatum imitetur naturam sui primitiui, nisi significationis insignior aliqua mutatio facta fuerit.

56.

Porro Syntaxis Figurata est in qua deest quip-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

piam, vel abundat, vel ſuo loco abeſt, vel immutatur, vt omnino naturali ſeu iuſtæ Syntaxi contraria ſit.

57.

Deeſt quippiam per Ellipſin:

58.

Abundat per Pleonaſmum:

59.

Loco ſuo abeſt per Hyperbaton:

60.

Immutatur per Enallagen.

61.

Atq; Orationis Eruditæ & Latinæ ratio talis eſt. Accidit porro Orationi, vt interdum ſcribatur: de qua re proximè, ſi Deus ſic voluerit, acturi ſumus.

Quæſtiones.

1.

An rectè dictum ſit in Menone Plat. Nos, quæ diſcimus, reminiſcendo diſcere?

2.


Et an in eodem Menone recte dicatur, Opiniones certas, (veras, minimè fallentes,) fieri ſcientias.

Deo gloria.



1590.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°

A. ANDREASSEN

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1542 4°